52875/P

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS DE TYPHO,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

FLORENTII JACOBI VOLTELEN,

MED. DOCT. MEDICINAE ET CHEMIAE PROFESSORIS ORDINARII.

NEC NON

Amplisſimi SENATUS ACADEMICI *Conſenſu,*
& Nobilisſimæ FACULTATIS MEDICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis rite ac legitime conſequendis,

Eruditorum examini ſubmittit

ABRAHAMUS BAGNELL,
ANGLUS.

Ad diem XXV. *Maji* MDCCXC. *H. L. Q. S.*

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD FRATRES MURRAY,
MDCCXC.

Suppl. / P / BAG

Our aim is to draw forth truth from the Colliſion of different opinions or at leaſt to approach to it by theſe means.

ZIMMERMAN ON EXPERIENCE.

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

347757

ROBERTO BELL,

ARMIGERO

Chirurgo peritiſſimo

Artem propriam, Corkagiae celeberrime exercenti

Feliciſſimoque cum ſucceſſu

Cujus ſub auſpiciis fauſtis

Cujus exemplo ſemper laudatiſſimo

Feliciter eductus

Ob multa in ſe beneficia

Collata

Hoc, qualecunque ſit, ſpecimen Medicum

Animi gratiſſimi

pignus

lubentiſſime offert

ejus quondam

Diſcipulus.

ITEMQUE

GULIELMO BAGNELL,

ARMIGERO

De Marlhill

in Hibernia

Ob morum integritatem, Cordis benevolentiam,

&

virtutes domeſticas,

omni-

omnibus aeſtimando
quibus eum noviſse contigit
ſibi
praecipue caro
propter varia ſummae amicitiae officia
hocce opuſculum
Animi haud quaquam immemoris
Teſtimonium
dicat
Propinquus ſuus.

D E N I Q U E

GEORGIO TRAYER,

ARMIGERO

in exercitu Britannico
Chirurgo
a prima pueritia
ſodali
Cum in ſtudiis ſcholaſticis
Tum in arte Hippocratica
& ſeſe
& praeterita juvenilia
in memoriam revocare
Hoc tentamen inaugurale
Sacrum eſſe
vult
Amicus obſtrinctiſſimus.
A U C T O R.

DIS-

DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

TYPHO.

Febres in omni aevo, propter occurſus frequentes, pericula concomitantia, & terminationes nimis ſaepe infeliciſſimas, in ſe curas cogitationesque Medicorum vindicaverunt. Hi morbi tam ſaepe viſi, tam accurate in-

veſtigati, tam rite depicti, & ab ingenioſiſſimis & eruditiſſimis, videntur nihil novi deſiderare ad eos explicandos. Paululum itaque mihi reſtat, quod multum valet, ad illud genus elucidandum, quod ſub nomine febrium malignarum intelligitur; quae tametſi diverſos, modis diverſis invadunt, nihilominus iisdem ſymptomatibus characteriſticis ſtipantur. Nobis enim putare non licet, ut eaedem cauſae, ex quibus morbi hodie oriuntur, ne praeberent, caeteris paribus, effecta ſimilia omnibus temporibus; quanquam in primo medicinae ſeculo, vel ob Medicorum inſcientiam inobſervantiamque, vel ob accurationis defectum in hiſtoriis narrandis, teſtimonia deſunt. Hippocratem etiam ipſum quaedam ſigna pauca latuerunt, ut

Pete-

Petechiae, quae Fracaſtorio primum notari dicuntur. Haec ſpecies morborum, me judice, etſi eadem ſemper fuiſſet, tamen Theoriae de cauſis, rationesque de curatione ſemper diſtulerunt: conſecutio neceſſarie ſuccedens ad incrementum ſcientiae, & in philoſophia, & aeconomia animali. Hoc tempore etiam multi manent incerta, quae, ſi illas examinibus crebris attentisque ſubjiciamus, forſitan ad ſtatum talem veriſimilitudinis poſthac reducantur, qualis judicium certum faceret, quantum fieri poteſt in rebus, de quibus concluſiones inferre oportet ab argumentis ſolis; quia ex natura rerum, experimentis prohibitis, nulla alia ratione permittitur multa morborum phenomena explicare. Igitur cum Seneca dicemus.

„ Multum egerunt qui ante nos fue-
„ runt, multum etiam adhuc reſtat
„ operis; multumque reſtabit: nec
„ ulli nato poſt mille ſaecula prae-
„ cluditur occaſio aliquid adhuc ad-
„ jiciendi. ——

DEFINITIO.

Appellationes diverſae febribus inditae, vel ad ſtatum Aegroti, ſymptomata morbi, vel ad cauſas, ex quibus oriri aeſtimantur, aliquid referunt. Quocirca ſcriptores morbo, hujus tentaminis ſubjecto, nomina varia impoſuere: ſcilicet Febrem Carcerum, Caſtrorum, Noſocomicorum, ſecundum ſitum Aegrotorum, Febrem petichialem, malignam, putridam, ex ſignis morbo ſupervenientibus, febrem-

ve peſtilentem ex origine aeſtimata. Attamen ab experientia docemur, ut hicce morbus variae appellatus, diverſis locis exortus, poſt acceſſum, & in forma, & in methodo tractandi, eſſentialiter idem eſt. Si diſcrimina appareant, (ut ſaepe contingit) in gradu vehementiae praecipue verſantur; variatioque producta ſive ab temperamento proprio Aegroti, tempeſtate anni, ſive ab climate ſituve locali, in hoc morbo, cura ſpecialiore non dignior eſt, quam in omnibus aliis hancobrem nomine generali Typho uti Mihi licet, de quo his verbis ſcripſit Sauvageſius. „ Decurſus ultra duas ſiptimanas, „ ſaepius tres, cum calore & urina ſano„ rum ſimilibus, pulſuque quoad frequen„ tiam ſane fere ſimili, & quoad robore

„ non majori , artubus interea maxime
„ proſtratis. —

HUNC MORBUM SAGARUS SIC DIFINIVIT.

„ Febris continuae genus, que plerum-
„ que ultra tres ſeptimanas durat cum ca-
„ lore jam magno jam nullo, urina & pul-
„ ſu ſanorum ſimilibus, artuum ſumma
„ debilitate, pulſus quandoque rarior eſt,
„ quam pulſus ſanus, color cutis pallidus,
„ ſqualidus, exanthemata varia huic mor-
„ bo ſuperveniunt epignomena. —

Ut duratio hujus morbi interdum tranſit, frequenter non attingit periodum, his ſciptoribus indicatam, ut etiam pulſus ab pulſu ſano differt plusquam his medicis notatus, & inſuper ut dilirium, quod

plus

plus minusve occurrit, ab iis in ſilentio tranſitur, igitur illam deſcriptionem accuratiorem docti Culleni praeferre expedit — eam accipe.

„ Morbus contagioſus, calor parum „ auctus, pulſus parvus, debilis, plerum„ que frequens, urina parum mutata, „ ſenſorii functiones plurimum turbatae, „ vires multum imminutae. —

HISTORIA.

Hic morbus aliquando adeo leniter incipere ſolet, ut ejus initia non facile percipiantur, aliquando tam ſubito ac violenter invadit, ut aegroto lectum repente petendi ſit maxima neceſſitas. Incipit cum ſenſu frigoris per corporis ſuperficiem, rigores cum calore alternantes ſequun-

quuntur, & nunc languor ac laſſitudo accedunt. Partes diverſae doloribus afficiuntur praeſertim caput, dorſum, lumbique. Aeger omnem corporis motum fugit, nec procumbere, nec ſemet erigere vult. Functiones naturales patiuntur; appetitus cibi, praecipue illius ex carne confecti dejicit. Ventriculus haud raro leniter nauſeatur, plerumque ad vomitum afficitur; quo peracto, levamen breve aliquando ſequitur, caput nonnunquam doloribus profundis degravatur & ſaepe vertigine invaditur. Aures tinniunt, ſimulatque cogitationes nonnunquam turbantur. Fauces internae ſiccitatem experiuntur & ſiti vexatur aeger. Haec ſymptomata ad noctem ingraveſcunt, mane levantur. Aegrotus aut ſomno

ex toto deſtituitur, aut ſi obdormeſcat, ſaltem non reficitur & per noctem monſtris horridis terretur. Pulſus quam ſanus celerior eſt, calor etiam creſcit, cutis exſiccatur, lingua muco albo obducitur, ſudor forſitan erumpit, ſaepius autem deficit. Organa ſenſuum externorum ſine aliquo impulſu, ultra ſolitum, afficiuntur, oculi luce, aures obſtrepitu, & animus mirum in modum deprimitur. Poſtquam Febris dies quinque vel ſex perduraverit, ſymptomata ſupra memorata in pejora propendent. Vultus pallet, ſubinde fortaſſe rubeſcit, oculi rubeſcunt, & ſuis cavis altius inſidere apparent, tunica adnata ſubrubra videtur, lingua areſcit & colorem fuſcum induit, cruſta formatur, quae niſi humida ſervetur, in

partes varias dehiſcit. Saliva ex toto ſupprimitur dentesque materia ſubnigra incruſtantur. Sitis immodica devenit & vix toleranda, vox tarda & querula eſt, Aegrotus ſenſum ponderis in praecordio conqueritur & ſpiritum difficiliorem ducit. Urina pallet, nonnunquam tamen rubet. Alvus clauditur, aliquando forſitan ſolvitur. Artus, lingua, aliaeque partes tremoribus vexantur. Pulſus, ut difinitio docet, debilis & frequens eſt. Dolor capitis intenſior evadens ſomno obſtat, ſenſorium vigiliis torquetur & dilirium ſupervenit, jam mite jam ferox. Interdum ſtupor potiusquam dilirium adeſt. Maculae pallentes ad purpuream vergentes, pectus, dorſum, brachia, cruraque obſident.

Hoc

Hoc morbi ſtadium diu non reſtat, ſymptomata enim ſaevientia velociter in peſſima ruunt. Vires Aegroti antea ſatis exiguae, mirum collabuntur: omnia ſummam debilitatem monſtrant. Fibrae vaſorum ſanguinem retinendi vix compotes, ab extremis ſinibus eum effluere ſinunt. Petechiae quondam pallentes liveſcunt, & ſaepe in radios nigros mutantur, nunc vibices nominatos. Urina faeceſque inſcio aegro redduntur, colore ſanguineo nigrove non ſemper carent & faetorem proprium exhalant: Secretiones itemque ex pulmonibus & cutis ſuperficie graviſſime olent. Extremitatum corporis calor imprimis valde imminutus eſt, & ſaepe ſudoribus frigidis defluit aeger. Ille ſummum locum lecti ne-

nequiens tenere, ad imas partes deſcendit, digiti ejus tegmina lecti carpant, floccosque captant, quos in aëre natantes cernere credit. Suſpirationes profundae ſubinde educuntur, Lachrymaeque per genas difluere videntur. Aegrotus aliquid muſſitat autem vox tenuis vix audienda nihil ſignificat. Pulſus arteriarum frequentiores & inaequaliores fiunt & ne numerari quidem poſſint. Subſultus tendinum ac ſingultus intolerabiles cruciant. In his corporis partibus, quae ob poſituram maxime premuntur, gangraena apparet: omnia ſigna lethifera, ad finem properantia, augentur. Extremitates magis magisque frigeſcunt, ſopor gravis invadit, Facies Hippocratica induitur, oculi ſunt immobiles & quaſi pelli-

cula

cula obtenſi ; denique inter magnos tremores & convulſiones ex carcere terreſtri erumpit anima. —

Hujus febris, de qua ſcribimus, diuturnitas valde eſt incerta, aliquando die ſeptimo a primo acceſſu vel per ſalutem vel per mortem deſinit, ſaepe ad decimum quartum aut viceſſimum progreditur nondumqne terminum complet, & nonnunquam usque ad trigeſſimum vel etiam ulteriorem perſtat, priusquam metam attingit. Febris ſigna poſtquam ſeſe remiſerunt, breve non tempus erit, antequam vires ſolitae redierint, & non tantum corporis debilitas, ſed etiam mentis imbecillitas frequentur diu manere ſolet. Aliquando Glandularum tumores (quibus interdum ſuppuratio accidit) & ulcera ex

ſphacelo, partes corporis in lecto preſſas afficiente, ſaluti rediunti officiunt. Nihilominus cibo nutriente, exercitatione leni, & ſocietate laetâ, debilitas corporis vincitur, imbecillitas mentis evaneſcit, ulcera ſanantur & poſtremó convaleſcenti redditus eſt vigor. —

DE DIAGNOSI.

Omnes Pyrexiae, quaedam pauca ſigna ſimilia habent, veroquidem morbos ſthenicos febriles inter & hanc febrem, ſumma cura diſcriminare debemus. In illis veneſectio aliaque evacuantia felici cum ſucceſſu adminiſtrantur: in hac vero remedia talia, non tantum debilitatem inſignem inducunt, ſed ſaepe effectus perniciofiſſimi eorum uſum ſequuntur.

Mo-

Morbus huic ſimillimus eſt Synochus, quanam ratione inter hos diſtinguendum eſt, dictu non facile eſt, quia in ſingulis ſigna conſimilia apparent, Synochi in impetu, gradu ſolo aucto, in progreſſu ſymptomata ſimiliora ſunt, & ad finem ne minime diſcrepant. Peſtis ipſa, morbus prae aliis ſaeviſſimus, vehementia & eventu ſubitaneo exceptis, de Typho nec differt, nec altera remedia poſcit; ut noſmet opinamur ab hiſtoriis diverſis hactenus traditis. Synocha vel febris pura inflammatoria cum Typho vix confundi poteſt. In noſtris regionibus raro videnda eſt, quando ingruit, inter hos facile diſtinguendum eſt: ab calore plurimum aucto, pulſu valido ac duro, & colore rubido facies oculorumque. Inſuper

ex

ex temperamento ſthenico Aegroti, judicium fieri licet. Synocha enim homines, in quibus Plethora valet, Typhus e contrario eos, quibus ſunt corpus debile tenuisque valetudo, invadit. Denique diagnoſis ſatis manifeſta deduci poteſt, ex cognitione cauſarum excitantium & ex ſitu locali: alius his, in terris humidis calidisque manentibus, obnoxius eſt; alia eos, in climatibus ſiccis frigidisque, degentes praecipue adoritur.

DE MORBI CAUSIS.

Diagnoſi peracta, in proximo eſt, ut ea indigarentur, ex quibus febris oriri exiſtimatur. Haec pro more medicorum, in cauſas praedisponentes, excitantes, & proximam, dividuntur. Inter cauſas prae-

di-

diſponentes, conſtitutio corporis, & modus vitam degendi recenſendi ſunt. — Omnia, quaecunque corpus univerſum debilitant, id ad hanc febrem proclivius reddunt: ejusmodi ſunt ſequentia, dieta macilenta minimave, vita deſes & iners, ab his tonus ventriculi debilitatur, Partes ſolidae relaxuntur, robur diminuitur, & ſecretiones excretionesque retardantur. Praeterea exercitatio gravis, cibus nimius, nimia potio ad vires nocendas tendunt. Exercitatio gravis, vel inſueta, vel nimis diuturna, actionem vaſorum potentiorem excitando, & ſecretionem humorum ultra ſolitam proferendo, defatigationem, inanitionem, & non raro vigilia inducit. Cibus nimius fibras ventriculi diſtrahendo, eum, inteſtinaque cum flatu diſtendendo,

corpus languidum, & ad morbos opportunius reddit. Potio immodica aquea paululum timenda eſt, quia vix unquam uſurpata, & non dubitandum eſt, quin vinum, variique liquores ſpirituoſi, fibras ſtimulando, animum ſuſcitando, & morbum & cogitationes inquietas arcere accomodentur: vero quidem experientia quotidiana abunde teſtatur, ut uſus eorum immodicus, vires laedit, ingenium hebetat, & corpus corrumpit. Hoc loco non obliviſcendi ſunt affectus animi deprimentes; maeror, metus, ira, ſtudium perpetuum, cogitatio profunda, nimis producta, de rebus perarduis vel triſtibus verſata, quae talem debilitatem & imbecillitatem interdum producunt, ut non ſolum maciem, ſed etiam inſaniam ipſam ſupervenire cognitum ſit.

Vo-

Voluptates venereae nimis crebro repetitae vires proſternunt. Denique debilitas ex quibuſcunque cauſis inducta, Homines prae caeteris animalibus, febribus obnoxios reddit. Hic notandum eſt, ut haec febris contagioſa, nec Hominibus convaleſcentibus, nec his etiam cum morbo laborantibus, ſemper parcat: veruntamen fatendum eſt, ut ullus alius morbus ſecedat ad hujus impetum, & poſt abitum nonnunquam regredi videatur. Quia corpus humanum, morbos duos ſyſtematis totius, uno eodemque tempore, pati non poteſt.

Inter cauſas excitantes, eas ponimus, quae morbum in corpore jam proclivi facto ciere valent. Inter has praecipue enumerantur, contagium ex corporibus cum febre laborantibus, effluvia ex locis homi-

num completis, aër ex rebus putridis, ſive animalibus, ſive vegetabilibus evolens, & miasmata ex paludibus. Aliae inſuper cauſae huic febri originem praebere, recenſentur: ut Calor, Frigus, vel per ſeſe vel cum humiditate conjuncta. Ex corpore humano contagium, cujus natura nondum comperitur, omnium cauſarum acerbiſſima aeſtimatur: facile recipitur ex ſtragulis veſtibusve Aegrotorum, cum corpore ſano tantum contactis, & hiſtoriae non deſunt, de materia Contagii (cum Bombyce, Xylo, talibusque commercii rebus, ex Bosphoro Thracio recepta,) quae non ſolum febres maligniſſimas quinetiam mortem ſubitam induxiſſet. Quod Typhus ex carceribus, caſtris, talibusque locis oriatur, Nemo hodie inficias ibit; atque ut aër ex rebus pu-

putridis evolens hanc febrem producat, ſcriptorum optimorum teſtimonia habemus. Aliquando videtur proculdubio, Miaſmata paludum Typhum inferre, ſaepius autem morbos alterae ſpeciei, nempe Intermittentes: hi nonnunquam in remittentes mutantur, & iſti forſitan in febres continuas degenerant. Sic febrium cauſis diverſis inductarum typo, jam celere jam lente mutato, Typhus poſtremo adveniat: vero ſaepius morbus eſt primarius. Anne frigus ſimplex, vel etiam calor per ſe, hunc morbum proprium produceret multum dubitandum eſt: veroquidem ut hi cum humiditate conjuncti Typhum afferrant, ſub variante coelo regionum noſtrarum quotidie videndum eſt.

Cauſis praediſponentibus & excitantibus

ſic expoſitis, ad rem perarduam, ſcilicet cauſam proximam venimus. Haec inter medicos quaeſtio ſummi momenti ſemper fuerat, quae ſi patefacta modum medendi certiorem monſtraret.

„ *Aeſtimatio cauſae ſaepe ſolvit morbum* ".

Quocirca a primaevis medicinae temporibus, Theoriae variae de cauſa proxima inventae fuerant, quae diverſis diebus viguerunt. De his theoriis multae fuerunt diſputationes, quas ſingulas nec animadvertere nec memorare in animo eſt. Nunc etiam Medici ſummo ſtudio & acumine ingenioſiſſimo hanc cauſam indagant: Plurimi debilitati eam attribuunt. Sed ſi debilitas hujuſce morbi ſit cauſa proxima, cur ne Typhus omnibus temporibus debilita-

litatem ſequeretur, quia axioma eſt ut eadem cauſa caeteris paribus eadem effecta praeberet. Debilitas autem huic morbo non propria eſt ſed multis aliis praecurrit. Igitur mihi apparet ut debilitas non eſt aeſtimanda tantum cauſa proxima, quantum effectus primulus: obſervare autem licet ut cauſa proxima & morbus ipſe inter ſe nexibus adeo arctis implicentur ut vix ſeperari vel internoſci poſſint.

„ *Latet cauſa, res eheu! notiſſima eſt*".

Hoc loco non alienum erit, de partibus quae primario afficiuntur pauca differere. His, qui corporis humani Phyſiologiae ſtudio incumbunt, connexus neceſſarius inter Cor, Cerebrum, Pulmonesque bene cognitus eſt. Sanguis per actiones pulmo-

num

num ab aëre aliquid ad vitam neceſſariam accipiens, hinc ad cor fluit unde ad cerebrum impellitur, in eo nonnihil adhuc inviſum ſecerni dictum eſt, quod per nervos ad cor transmittur, idque organum ſtimulo ſanguinis commoveri parat. Ita actio reciproca perpetua fit & ſi una ex his partibus imminuitur, omnes functiones vitales langueſcunt in ratione cauſarum alterutram afficientium. Quod Nervi ſint inſtrumenta ſentiendi ab experimentis probatum eſt: per illos ſenſatio cerebro impertitur, & ſenſorium movetur ſimulatque pars remotiſſima afficitur. Haec ſympathia univerſa, ob eorum plexus diverſos ganglionesque exiſtere exiſtimata fuit; in partibus autem ubi nexus tales non inveniuntur effectus ſimiles accidunt. Itaque ad ſimili-

militudinem formationis & originem communem, ut hi conſenſus varii attribuantur, oportet. Ex hoc fit ut ſtimuli partibus applicati, effecta producant jam localia jam univerſa, vel ſecundum ſuas vires proprias, vel facultatem corporis iis poteſtatibus occurrundi. Cutis, propter numerum nervorum illae ſuperextenſum, viciſſitudines caloris, frigoris, humiditatisque, maxime ſentit. Nervi ventriculi inteſtinorumque, quia varietatem ſtimulorum accipere ſolent ſic viderentur ſenſibus minime acutis gaudere, quippe qui muco obteguntur; tamen eorum conſenſus, affectus mutui & irritibilitas, pro certo probant ut hos inter & illos quamvis in partibus diverſis ſitos, ſenſatio pariter viget. Nobis exinde inferre licet,

(etſi nonnulli ſcripſerunt nervos ventriculi huic morbo praecipue obnoxios fuiſſe) ut nervi in quibuſcunque partibus collocati, ſi cauſis morbi pariter obvii ſint, pariter afficientur. Sic probari poteſt quomodo ſtimuli, ſive menti, ſive corpori, applicati ſuas vires per ſyſtema impellunt. Denique quaecunque ſit Typhi cauſa proxima nervi ſunt partes qua primario morbo laborare videntur.

DE PROGNOSI.

De morborum eventu difficillimum eſt judicatu. Prognoſis de Typho vix aut nevix quidem certa eſſe queat, quia in hoc morbo valetudo proſpera nonnunquam redintegratur, poſtquam ſymptomata peſſima ſaevierint, dum e contrario mors mor-

bo

bo finem impoſuit, etſi periculum nec in acceſſu, nec in decurſu, ſeſe plane oſtenderat. Exempla, quibus ſpes maxima fuit fauſte terminandi, infauſté terminata, Egomet vidi, aliaque ad exitum felicem perducta, quamvis ſymptomatibus mortem citam minantibus ſtipata. Nullus fere morbus exiſtit cui prognoſin formandam cautione majore opus eſt quam Typho. In illo ſumma cura obſervare oportet, vultum aegri, habitum corporis, ſtatum animi, modum ſolitum vivendi, tempeſtatem anni, & originem morbi, an ex contagio ſpecifico, an ex aliis cauſis. Si vultus moleſtus, ſi corporis compages morbis confecta, ſi animus demiſſus, ſi vitae intemperantia, ſi aetas provecta, ſi tempeſtas adverſa, ſi contagium epidemicum, mor-

bo praeierint; ab initio periculum timendum eſt. In morbi decurſu plurimum augurari poſſumus, ex voce, lingua, reſpiratione, colore maculorum, poſitura, pulſu, faecibus, robore & ſenſibus internis. Si vox gracilior fiat, ſi lingua areſcat nigreſcatque, ſi reſpiratio celeris ac laborioſa ſit, ſi Petechiae liveſcant, ſi aegrotus dorſo recubans ad imas partes lecti labetur, ſi Pulſus arteriarum intermittant vixque denumerari poſſint, ſi faeces & urina inſcio reddantur, ſi abdomen poſt dejectiones tenſum durumque maneat, ſi vires magnopere minuantur, ſi ſyncope corpore erecto ſuperveniat, ſi aegrotus nec medicum nec amicos recognoſcat & vel vigiliis cruciatur vel comate hebeat, ſi ſubſultus tendinum & ſingultus frequentes adſint, ſi oculi ſubru-

brubri appareant, ſi extremitates frigeſcant, ſi haec ſymptomata morbum comitentur; praeſagium infauſtum erit: ſi haec jam memorata lenius urgeant, nobis licet eventum jucundiorem ſperare. Sunt vero quaedam ſigna ſalutem indicantia, ſi ſudor modicus verſus morbi finem, per totum corpus affundatur, ſi aegrotus in latus recumbens dormiat, ſi ſaliva ſecernatur & lingua madefiat, ſi urina hypoſtaſin abunde deponat, ſi ſurditas ſuperveniat & appetentia cibi rediat, ſi haec ſymptomata appareant, fas erit terminum fauſtum praenunciare. Nunc pauca de diebus criticis animadvertenda ſunt. Medicos in prognoſi deducenda denunciare ſaepe audivi, criſin certum ante diem ne accidere poſſe, & illis tales periodas fixas expectandi aucto-

ritates maximae fuerunt. Iidem dies de Hippocratis tempore, uſque ad noſtrum critici cogitati fuerant: etiam doctus Cullenus in ejus libro cui titulas eſt, Firſt lines of the Practice of Phyſic. verbis ſequentibus utitur.

„ The critical days, or thoſe on which „ we ſuppoſe the termination of „ continued fevers eſpecialy to hap„ pen, are, the third, fifth, ſe„ venth, ninth., eleventh, four„ teenth, ſeventeenth, and twen„ tieth. We mark none beyond this „ last; becauſe though fevers are „ ſometimes protracted beyond this „ period, it is, however, more ra„ rely; and we have not a ſufficient „ number of obſervations to aſcer-

„ tiant

„ tain the courſe of them; and fur-
„ ther, becauſe it is probable, that,
„ in fevers long protracted, the
„ movements become leſs exact and
„ regular, and therefore leſs eaſily
„ obſerved".

Vero quidem alteri dies ut critici annotantur & ſic ſcriptum eſt ab ingenioſiſſimo Cleghorn libro ſuo on the diſeaſes of minorca.

„ Odd critical days according to Hip-
„ pocrates are the 1ſt. 3rd. 5th. 7th.
„ &c. even critical days are the
„ 2nd. 4th. 6th. 8th. &c. however
„ ſingular ſuch a diſtinction may ap-
„ pear, where no ſuch uniform di-
„ verſity is obſervable, yet it will
„ be found next to impoſſible to

„ give

„ give a tolerable idea of the di-
„ ſeaſes in that character, without
„ the aſſiſtance of this diſtinction ".

Nos minime decet aliquid dicere contra opiniones tam univerſe receptas, tamen licet animadvertere ut ipſe dies, quo Typhus invadit, non ſemper plane deprehendatur. Itaque ſi certi dies critici ſunt calculus falſus facile ſubduci poſſit. Non dubitandum eſt vires medicatrices Naturae, ſumma ope niti ſeſe ſublevare, haec conamina nunc plane nunc vix videnda ſunt: veroquidem difficillimum eſt vel rationem explicare, qua, Natura certis diebus morbum arcere nitatur, vel etiam animo effingere, cur unum ſeligeret prae aliis prae omnibusve.

ME-

METHODUS MEDENDI.

Indicationes curatoriae in hoc morbo in partes tres dividi queant.

Prima. Cauſas debilitatis tollere.

Secunda. Symptomata acerbiora levare.

Tertia. Vires ſuffulcire.

Ad primam. Ut natura contagii, quod applicatnm fuit & debilitatem corpori intulit, nobis parum innoteſcit; ideo rationes idoneas ad tollendum ignoramus. Si liceat aeſtimare cauſas morbi ab tempeſtate adverſa, vel ab ſitu exortas eſſe, eas corrigere conemur, ſi ab tempeſtate, aërem ſub tectis emendendo, ſi ab ſitu, locum ſtatim mutando.

Ad ſecundam. Medici fere omnes ad ſymptomata levanda, iisdem remediis hodie

die

die utuntur. Propter pulſus Arteriarum aliquando freqnentes, tametſi emiſſio ſanguinis indicari videretur, & a nonnullis admonita fuiſſet, tamen ab experientia docemur, detractionem hujus laticis vitalis vix unquam celebrandam eſſe, ob debilitatem ejus miſſioni ſuccedentem. Igitur in initio, Emetica exhibenda ſunt propter ſuos effectus in ventriculum editos, qui cibum nuper receptum non digerere valet, ideoque ſenſum ponderis patitur. Inſuper vomitoria ſaepe dolorem capitis ſublevant, perſpirationem impeditam eliciunt, & acmulationem materiae morbificae in ventriculo prohibent. Inter Emetica Ipecacuanha & Tartarum Emeticum praecipue in uſu ſunt: aliquando calx antimonii nitrata adminiſtratur, quae pulveri febrifugo

Docto-

Doctoris Jacobi ſimillima habetur. Vomitu ſemel peracto, eadem medicamina iterum iterumque repetuntur, in doſibus vero parvis nauſeam tantum excitantibus, ſed forſitan minus apte uſurpantur, quia eorum uſus Aegrotum debilitat. In eorum loco ſales medii extolluntur, ad perſpirationem promovendam, calorem minuendum, ſitimque alleviandam. Ut hi ſales effecta talia producant, a plurimis enim aeſtimatur. Haec remedia ſub formis diverſis adminiſtrantur. Scilicet Alkali fixum vegetabile, neutrale factum ab acido vegetabilium nativo, & vehiculo idoneo commixtum. Aliquando Alkali volatile eodem modo paratum. Nonnunquam Alkali & acidum ſeparatim exhibentur, Alkali primo, acidum ſtatim poſtea. Hac ratione effervefcentia

 in

in ventriculo evenit, & aëris fixabilis extricatio, leniter ſtimulando, & ſordes corrigendo, multum valet ad morbum ſublevandum. Tremores, ſubſultus tendinum, ſingultus, etiamque delirium, in hoc morbo, nullis medicaminibus citius cedunt quam vino & Opio, quorum uſus maturus nunquam differendus eſt. Epiſpaſtica & Pediluvia multum laudata ſunt ad tollendum ſoporem diliriumque; aliquando cum ſucceſſu, aliquando fruſtra applicantur. Longum autem & inutile eſſet hic enumerare omnia quotquot medicamina laudata fuerant, & effectus quibus gaudere creduntur. Ut Moſchus, Camphora, Caſtoreum, Radix Serpentaria, Confectiones Theraïcae aliaque Antispasmodica & Alexipharmica. Haec, quae ad indicationem exe-

quen-

quendam certiſſima accomodatiſſimaque experiuntur, ſola protuli. De doſe Opii & quantitate vini quae danda ſunt nil moror: ſymptomatum levatio optime doſem indicabit. Effecta vini in homines bene valentes & hos Typho laborantes multum diſcrepant. Nobis enim patet eos ſine ſtupore ſuperveniente poſſe tantum vini conſumere quantum eosdem in ſalute inebriaret. De Remediis antiſepticis cortice Peruviano, acidis mineralibus vel vegetabilibus, liquoribus ſpirituoſis, aliisque hujuſcemodi, paulula dicendum eſſe duco. Opinio diu viguerat ut humores in hoc morbo imprutreſciſſent: an Putredo in corpore vivo accidere poteſt multum dubitandum eſt. Putredinis effecta Celeberrimus Haller ſic deſcribit.

„ Putredo omnia vincula Partium ani-
„ malium rumpit, humores alioquin
„ coagulabiles, cruorem, lympham,
„ Ovi albumen, omnii liquamen,
„ in acre & nullo porro veneno
„ coagulabile tabum reſolvit".

Vero quidem nec Typhus, nec etiam peſtis ipſas hujus febris ſpecies maxime lethifera, ulla talia ſymptomata praebent. In libro cui titulus eſt, Traité de la Peſte, haec verba invenimus.

„ Nous n'avons ouvert aucun cada-
„ vre des Peſtiferes, où nous n'a-
„ yons toujours trouvé les quatre
„ cavitez du coeur extremement
„ remplies & dilates par un ſang
„ epais, noir, & tout grumelé".

Inſuper celeberrimus Pringelius ſic ſcribit.

„ Dis-

„ Diſſecting a perſon dead by jail
„ ever, I found about three oun-
„ ces of purulent matter in the
„ ventricles of the brain the whole
„ cortical and medullary ſubſtance
„ was uncommonly fluid and ten-
„ der, nay ſome of the ſame kind
„ of matter was foud in the upper
„ part of the cerebellum. In two
„ the cortical ſubſtance of the brain
„ had an inflammatory appearance
„ but no ſuppuration, and in one of
„ theſe the large inteſtines were
„ corrupted".

Sanguis in corde coagulatus, & ſuppuratio in Cerebro, ad putredinem nihil referunt. Liquor ullus putridus in venas injectus, mortem inferet tam cito quam

cor-

cor attigit, ergo ut corpus vivum circulationem humorum putridorum pateretur non credendum eſt. Ex his nobis concludere licet ut Cortex Peruvianus, acida, vina, aliaque antiſeptica in Febribus uſurpata (quaſcunque vires habent materiem in primis viis corrigendo, nunc de morbo ad putredinem procliviorem) maxime valent, quaſdam poteſtates ſtimulantes & cardiacas in ventriculo edendo, & exinde corpus univerſé afficiendo. Per totum morbi decurſum, neceſſarium eſt, ut colluvies inteſtinorum dejiceretur, ad quam, purgatio per medicamenta lenia commendatur, ad finem autem periculum, catharticorum mitiſſimorum uſu non omnino abeſt: igitur ad enemeta refugiendum, quibus ſordes abluenda eſt.

Ad

Ad indicationem tertiam ſuccedunt ea quae viribus ſuffulciendis adaptantur. Qualia ſunt pabula tenuora ut pulmenta, juſcula rara, vegetabilia eſculenta & fructus maturi. Hi poſtremi peracorem ſuum, calorem refrigerant, putredini in tubâ alimentariâ obſtant & palato gratiſſimae ſunt. Pulmenta & juſcula ſecretiones promovent, leniter nutriunt & excretiones adaugent. Potiones diverſae aequeae ad bibendum accommodantur ex frugibus, frumentisve paratae: praeterea liquores ſpirituoſi multum diluti & grate acidulati, vina etiam vel per ſe vel aqua commixta. Aliquando cereviſia tenuis bene lupulata, aliquando liquor ex pomis expreſſus anglice Cyder. Potiones hujuſcemodi aëre fixo abundant, leniter ſtimu-

lant, quaſdam vires cardiacas edunt, ſitim reſtinguunt & ſecretiones impellunt. Mundities maxima ſemper conſulenda eſt, Induſia ſaepe, lectum aliquando, & cubiculum ipſum quando fieri poteſt, mutanda ſunt, Aër purus libere admittendus eſt, & cubiculum ſubinde odoribus ex aceto ignito, talibusque exhalationibus perflandum eſt. Faeces ejectae ex quibus faetor volatilis putridaque emittitur, pro tempore breviſſimo in dormitorio non retinendae ſunt. Nunc, hoc tentamine ad finem perducto, Mihi ſolum reſtat, haec conſilia Hippocratis reſcribere.

„ Oportet autem non modo ſe ipſum ex-
„ hibere, quae oportet facientem ſed etiam
„ aegrum & praeſentes & externa ".

T A N T U M.

THE-

THESES.

I.

Cauſam febrium proximum ſyſtemati nervoſo inhaereſcere, probibile.

II.

Omnibus Medicaminibus in Typho exhibendis vinum opiumque praeſtant.

III.

Boni effectus Corticis Peruviani non a vi antiſeptica, ſed tonica praecipue pendent.

IV.

Scorbutus non ex putredine fluidorum oritur.

V.

Magna eſt Symphatia inter Cerebrum ventriculum & Cutem.

VI.

Videtur Liquor nerveus ſecerni in Cebro.

VII.

Placenta parat ſanguinem pro faetu non vero a matre accipit.

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE